

Ep. aux Ramberg

Admodum Reverende, et eximie Domine doctor. Laudo consilium Reverendissimi atque Illustrissimi episcopi, qui te operarium strenuum, sibi que optime notum suffraganeum habere voluit. Laudo timorem in adeunda ea dignitate, quam non appetunt, nisi qui gravitatem eius ignorant. Laudo pios viros, qui prudenter omnia reputantes, animum tibi addiderunt, et nutantem confirmarunt. In horum numerum, ego quoque libenter ipse me inserens, hortor, et moneo, ut magno animo sarcinam istam subeas, quae quo gravior, et molestior in hac peregrinatione erit, eo tibi illustriorem coronam in patria caelesti afferet. Unum tantum non obliviscaris, illos esse in hoc tempore beatiore, qui Christo sunt in cruce ferenda similiores; quemadmodum in aeterna vita illi feliciores erunt, qui eidem Christo similiores erunt in gloria; hinc enim Dominus, cum sancto Petro pastoris officium demandasset illis verbis, Pasce oves meas, continuo adiunxit: sequere me; et hoc ipsum declarans addidit: cum senueris, alius cinget te, et ducet, quo tu non vis, significans qua morte esset clarificaturus Deum. Et de beato Paulo tunc primum ad Apostolum assumpto, ait: Ego illi ostendam quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Itaque praemium bonorum episcoporum in hac vita non sunt opes, vel honores, sed abundantia passionum, et laborum, quibus aeterna requies, et gaudium comparatur. Sed his omissis, quibus tu minime indiges, gratias ingentes habeo pro iis, quae ad me scripsisti de insigni progressu optimi principis, et episcopi vestri, quem non hominum vota, aut studia, sed Deus ipse pro sua infinita pietate ecclesiae suae donavit. Ego certe ita illi germana charitate afficior, ut si pennas columbae assumere possem, nihil me detineret, quin statim ad eius complexum volarem. Utinam multos ei similes, non solum in Germania, sed etiam in Italia, et in reliquo orbe christiano haberemus: videremus enim continuo vineam Domini tam bonis agricolis commissam mirifice reflorescere. Precor illi e corde longitudinem dierum quanta necessaria est ad ecclesiae

/ reformationem. Quod vero attinet ad confirmationem suffraganeatus
tui, non arbitror ullam fore in ea re difficultatem; sed etsi for-
te aliqua intervenerit, conabimur eam totis viribus amovere, ut
p̄pio, ac iusto desiderio episcopi de ecclesia optime meriti quam ci-
5 tissime satisfiat. Vale mei memor in precibus tuis. Romae die 12
Februar.1612.

Epist.famil.XCI.